DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MANIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS WOODFORDE,

Anglus.

Igitur, colos exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie vultuque vecordia inerat.

SALL. *Catil.*

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

PATRI SUO DILECTO

JACOBO WOODFORDE, M. D.

VIRO

VIRTUTE OMNIGENA

COR HUMANUM ORNANTE

PRÆDITO;

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

PIETATIS, ADMIRATIONIS, ET AMORIS,

TESTIMONIUM,

PEREXIGUUM QUIDEM SED SINCERUM,

D. D. D.QUE

FILIUS AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MANIA.

Auctore THOMA WOODFORDE.

PLURIMA inter mala quibus homo objicitur pertinaciora, quam Mania fere nullum est, cui magis natura humana repugnet, quodve morum mentisque prope divinæ gloriæ magis detrahat, quod, denique, felicitati familiarum ruinam ampliorem inferat. "Madness," ait Dr CURRIE, "while it hastens not the approach of death, destroys all that makes life valuable." Neque tamen, adeo multis abhinc annis, scriptores, (ambagibus cunctis obscuris, vocabulisque sonantibus abjectis, conatuque omni ad mentis rationes red-

dendas, nexumve inter hanc et materiam corpoream explicandum, pro opere sine pretio, omisso), demum actiones illius diversas in statu sano, ejusque hallucinationes frequentiores morbosas recensere, nexumque talem mentem inter et corpus intercidere, agnoscere cœperunt, ut altero se male habente, altera quoque patiatur, atque morbus quicunque mentis, corpori aliquo modo laboranti semper rejiciendus sit. Jam, ideo, sententiæ tritæ quidem, sed nihilominus ineptæ, de morbis animi, raro in scriptis medicorum occurrimus. Indicia, forsitan, mali sese in animi functione læsa prodant, at hoc ipsum necesse corpori non menti inhæret; et hodie, vix stultius foret, maniæ ratiocinatione (cui quidem medicinæ mens utpote nihil materiæ in sese habens patet) mederi, quam opinionem tueri, mentem ipsam primario morbosam fieri posse.

MORBI HISTORIA.

Mania ejusdem fere ævi, ac genus ipsum humanum, esse videtur; et quamvis luxus, quasi istius in temporibus hodiernis causa frequentissi-

ma adductus est, vix inde, primis temporibus, proficisci potuit. Juvenes, præcipue temperamento cholerico præditi, quam seniores, huic vitio procliviores esse dicuntur; experientia tamen PINEL et HASLAM tali sententiæ adversatur, atque plures inter annum ætatis trigesimum et quadragesimum, quam alio vitæ spatio ullo, dummodi pari, plecti ostendit. Sexum utrumque aggredi potest, tametsi mares sæpius quam fœminas ubique nisi in Anglia, ubi fœminæ frequentius pati dicuntur, infestare fertur: indagatione tamen latiore instituta, nullum, quod ad numerum, discrimen majus inter insanos, quam inter sanos sexus utriusque comperitur. Homines, quorum ars propria imaginationem plurimum exercet, quique suæ mentis pathematis nimis indulgent, maniæ longe pronissimi notantur. Hæc profecto fere nusquam non est, sed crebrius sub cœlo fervente quam mitiori, et tempestatibus anni calidioribus quam frigidis, instat. Inter homines barbaros, gentesque feras, parum cognita est. Non ubivis quam in Anglia latius grassari dicitur; cujus rationem ab opibus et luxu incolarum nonnulli deducere conantur: hoc autem minus verum esse suspicari nec injuria licet; si, enim,

eorum, qui Londini (ubi causæ istiusmodi maxime valere credantur) laborant, numerum cum miseris Lutetiæ Parisiorum affectis componamus, longe plures in hac urbe quam in illa insani reperientur.

DEFINITIO.

Quo alicujus functionis conditionem morbosam rite intelligamus, statum ejusdem sanum bene cognoscere oportet; et hoc axioma nusquam meliore jure quam in morbo, de quo sermo versatur, auctoritatem obtinet.

Quamdiu, igitur, homo, ætatis adultæ, sensuum externorum omnium probe compos est, eosdemque singulos, non sine quadam voluptate exercet; quamdiu perceptiones ex horum unoquoque oriundas, ut decet, agnoscere, et cogitationes, cum omnibus quæ ad eas primo pertinebant, et simul cum iis menti impulsus præbebant, revocare nec difficulter valet; quamdiu hæc ipsa retinere, conjungere, aut dimittere, quasi ad suum arbitrium, queat; quamdiu rerum similitudines et differentias ita percipit, ut ab iis recte afficiatur,

atque omnes mentis suæ dotes regere, easque rebus obvenientibus, et vitæ muneribus solitis, accommodare polleat; tamdiu illum mentis sanæ et integræ esse arbitramur. Attamen, quonam sanitas desinat, et unde insanitas incipiat, haud ita facile dictu reperietur; si, enim, harum facultatum possessionem plenam et perpetuam solam sanitatem appellemus, pauci, si ulli omnino, prorsus sani dicantur. Si GREGORIO credimus, " omnis præter solitum hilaritas ad insaniam vergit, et mœstus et meticulosus animus ad melancholiam propinquat."

Plurima, revera, vocabula, quæ statum sanitati contrarium insignirent, proposita sunt: istum Græci " *μανιαν*" a verbo suo " *μαινομαι*," Romani " delirium," Galli " derangement," nominarunt; aliis præterea gaudet nominibus, veluti "insania," et " lunacy" sermone vernaculo.

Hujus definitiones quam nomina nihilo pauciores prolatæ sunt; nam auctor unusquisque definitionem suis de morbo opinionibus consentaneum obtulit; atque ex supradictis talem vix satis brevem, vel simplicem futuram, facile constabit. MEAD autumat, " That this disease consists entirely in the strength of the imagination."

Adams hoc vitium ait esse, " a permanent reverie." Haslam, in sui libri editione prima idem arbitratur constare ex " obstinate credulity." Cullen ex " such false perceptions of the relations of things as lead to irrational emotions." Ferriar inter indicia perceptionem falsam, ideoque cogitationum turbelam, eminere censet. Spurzheim hæc habet, " Insanity is an aberration of any sensation or intellectual power from the healthy state, without being able to distinguish it, or without the influence of the will on the actions or the feelings." Esquirol ita designat, " La manie est un délire général, chronique, sans fièvre, avec excitation des forces vitales." Dr Pritchard insaniam putat, " chiefly distinguished by a general incoherence of thought,—the ideas appear scarcely to follow any connected course,—the attention passes in a hurried manner from one assemblage to another."

Insania in species diversas redacta fuit, et fere quisque scriptor de insania recentior species ejus ex notione argumenti sibi propria ordinavit. Cullen, et alii haud pauci, in Maniam et Melancholiam distribuere ; Arnold in " Ideal and Notional ;" Hill in " Sthenic and Asthenic ;"

Dr CRICHTON genus morborum mentis ita discernit: "primo, Delirium, or general derangement; secundo, Hallucination, or partial illusion; et tertio, Amentia." PINEL species, secundum potestates has vel illas læsas, quinque recenset; contra, autem, SPURZHEIM classium ordinem suum e partibus, quæ illi morbi sedes primaria videntur esse, deducit.

Ab ESQUIROL insania in species quatuor dispescitur; Maniam, scilicet, Monomaniam, Dementiam, et Idiotismum: talem Maniæ definitionem tradit, "La Manie, dans laquelle le délire s'étend sur toute sorte d'objet et s'accompagne d'excitation." Hæc distributio symptomatis morbi diversis maxime convenire videtur; et in parte hujus tentaminis adhuc secutura, ad primam speciem, seu Maniam, solummodo respicere statui.

SYMPTOMATA.

Mania plerumque lente et paulatim accedit; nunquam tamen in duobus a phænomenis accurate paribus incipit. In compluribus, dolor capitis, et pulsatio dura arteriarum, morbi aggressio-

nem antecedunt; nonnunquam de vertigine visuque rerum turbato conqueritur ægrotaturus: in multis, porro, ab indiciis alicujus abdominis morbi minime obscuris incipit. Vultus adest quidam aspectus insignis, iis, qui morbum bene notarunt, familiaris, et facile recognoscendus: hic obtutu feroci, plerumque cum acie luminum timida vel suspicaci conjuncto insignitur. Oculi prominent, motumque habent errabundum, qui modo peculiari intuitum custodientis fatigat. Æger incessu cito ambulat, et inter ambulandum, sæpe repente pedem sistit; hoc signum primo parum a circumstantibus notatur, et molestiæ cuidam, vel animi ingenio difficili tribuitur: sæpe ultro loquitur, et ab aliis compellatus, forte responsionem nullam, aut saltem rei propositæ maxime alienam, reddit. Homines moribus quam maxime constantibus, et quam optime institutis, improviso, impigri, zelotypi, et inquieti fient. Animus modo nimis hilariter se habet, modo pariter depressus sidit: sermo sibi minus consonat, neque, ut decet, ordo rerum cohæret. Oratio aliquando velox, et altisonans, cum sensu quodam roboris insignis, verbisque de valetudine bona jactantibus, profertur. Dum alias homines

natura alacres et impigri, inertes rerumque incuriosi evadunt, se ægrotare putant, vel morbum aliquem formidandum adfuturum præsagiunt. Sermo jam a solito, quatenus tonum, modum, imo etiam argumentum spectat, multum discrepat; sine causa spectabili irascitur: multi perpetuo garriunt, aliquando vehementissime clamant; dein voce repente submissa, mussitant et loquuntur susurro. Neque prætereundum est quoddam mirabile, aliquos, scilicet, tam fœminas quam mares, moribus antea spectatissimis et verecundis, hoc vitio correptos, imprecationibus horrificis, verbisque et actionibus obscænissimis indulgere; nec minus notabile est, quanquam ferme semper accidit, quod iidem eos ipsos, quos sani maxime dilexerant, insigniter suspicantur et horrent. In fœminis risus vel fletus sæpe comitatur *. Mania, sic, a GEORGET, diserte depingitur: " Le maniaque semble vivre dans un autre monde; il a oublié tous les événemens de sa vie, les objets des ses affections; s'il les rapelle quelquefois à son souvenir, ce n'est qu'en passant et sans intention marquée. L'exercice des facultés intellec-

* RUSH.

tuelles offre l'image du chaos. Propos désordonnés, sans cause et sans but; joie, tristesse, ris, pleurs, se succédent tour à tour, et sans motifs apparens."

Maniaci inediæ diuturnæ, sine incommodo, patientes videntur; quamvis nonnulli cibum voracitate insolita appetunt, et quodcunque sese obtulit sine fastidio ingerunt. Ventriculus et intestina præter solitum torpent, fæcesque albidæ, parcæ, duræque dejiciuntur. Alvus fusa, nisi finem versus morbi, rarissime supervenit. Halitus oris, a HILL, more insolito fœtere dicitur; urina parca est et plerumque ruberrima redditur.

Pulsus et spiritus sæpenumero aliquas mutationes, quæ tamen minime perpetuas, et qualibus parum omnino fidatur, subeunt. Lingua ferme madescit; atque sæpe plus quam fert natura, salivæ et muci in ore et gutture secernitur. Secretionem muci in naribus impeditam, haud rarum esse indicium, a RUSH annotatur. In ea Maniæ specie a PRITCHARD "Enteric Mania," lingua, habenulis albis interpositis, rubet, et interdum ex parte fusciore crusta obtegitur.

Quod ad sensus externos attinet, crebro multum turbantur; aliquando visus, præ cæteris, la-

borat, imaginesque spectrales ante oculos vacillare autumat æger; res, quæcunque spectantur, fulgent, et quasi flaminis collucent: oculus ipse nitet et prominet; aliquando, tamen, intus recedit, et acie obtusiore hebescit, neque rerum externarum impulsu satis afficitur. Qui a mania convaluerunt, sensum quendam adumbrant, quasi oculus alapa acri ictus fulgura ederit, qui porro sensus, prout cogitationes turbarentur, magis magisque augesceret *. Omnium vero sensuum, qui maxime patiatur, auditus est. HASLAM, se fere nunquam quatenus recordatur, maniacum oculis captum, multos autem auribus, vidisse, eosque, qui non omnino surdi facti essent, saltem auditu tardiori et tinnitu aurium vexatos esse, nos certiores facit. "It is from the disorder of this organ, and which is referable to the original diseased action of the functions of the brain, that many maniacs derive the delusions under which they labour *;" et sic ex symptomatis tristissimis, impulsus, ad mortem sibi consciscendam, cui nequit resisti, extat unum. Hæc ad suicidium proclivitas pertinax sæpe per multos annos im-

---

* BECK.

mota perstitit; plurimique labores indefessi, ut sese perimendi occasionem reperirent, suscepe- runt:

> " Ergo, ubi concepit Furias, evicta dolore
> Decrevitque mori; tempus secum ipsa, modumque
> Exigit *."

Quidam hanc proclivitatem miserrimam bene sentiunt, facinusque temerarium, quod sunt ac- turi, metuere videntur; et, si verbis GALENI uti licet, " Sunt qui simul mortem metuunt, et mor- tem sibi consciscunt."

Olfactus quoque interdum laborat, ut et gus- tus et tactus. Solita incommoda frigoris, famis, somnique defectus, mania afflictus sæpe minime sentire videtur: hoc autem, fortasse, menti suis cogitationibus prorsus deditæ, quam ulli organo- rum sensibus inservientium defectui, potius reji- ciendum putetur: atque profecto HASLAM fri- goris perceptionem amissam, non universam ne generalem quidem asseverat. Memoria cito la- befit, et paulo postea fere penitus periisse vide- tur.

---

* Æneid.

Ignavia timida insanorum nota est insignis, quamvis, enim, feroces plerumque et clamosi sunt, fortitudini audacioris facile victi cedunt. Signa præcipua sunt, timiditas, suspicio, diffidentia, animus sorte, quæ adsit, nunquam contentus, mutationis usque repetitæ cupido.

Hæc conditio miseranda per dies, hebdomadas, menses, et annos, etiam perstare, et demum in mortem, remissionem, vel sanitatem perfectam, desinere possit.

DE CADAVERIS SECTIONE.

Quæ sæpissime, capitibus maniaicorum patefactis, conspiciuntur, sunt opacitas, aliquando densatio tunicæ arachnoideæ: sanguis membranis pariter atque substantiæ cerebri impetu allatus, aqua simul in ventriculos, inter tunicas et convolutiones effusa; arteriæ in os conversæ; durities, nonnunquam mollities, cerebri.

Medulla spinalis raro plectitur.

Adhæsiones in thorace, et tubercula crebra observantur. Tunica intestinorum mucosa fere semper, præter naturam sanguine referta apparet.

Colon e loco suo, arcu transverso obliquo facto vel perpendiculari, dimotum fuisse interdum notatur. Hepar, præter naturam, magnum aut parvum, aliquando congestum, tuberculosum, scirrhosum, cum hydatidibus. Vesica fellis bile distenta. Lien ampliatus, emollitus. Uterus et ovaria tuberculis referta, ampliata.

CAUSÆ.

Hæ plerumque in Physicas et Morales distribuuntur; istiusmodi autem divisio rectis de morbo notionibus instituendis nequaquam confert: Mania, revera, morbus corporeus existit, causæque morales, nil magis, in ea, quam in aliis vitiis bene multis inducendis efficiunt; tantummodo eatenus agunt, quatenus istos affectus physicos cient, qui, vice sua, in mentem reactionem edunt; raro, autem, ut ab Esquirol annotatur, causæ vel morales vel physicæ per se invicem insaniam constituunt; plerumque conjunguntur, vel genus alterum ex altero gignitur.

E causis quæ ad maniam pronos reddunt, proclivitas hæreditaria, temperamentum sive sangui-

neum, sive melancholicum, sincerum; vitæ ætas media; artes et occupationes quædam præ cæteris; quædam anni tempestates; cerebri conformatio propria, præcipuæ esse videntur.

Proclivitatem ad Maniam hæreditariam esse aliqui negarunt; hoc, vero, tam sæpe, non modo a medicis, sed etiam a vulgo hominum annotatum est, ut nihil præterea, ut confirmetur, postulet. Rationem proclivitatis a temperamento puro neque cum aliis immixto, oriundæ facile reddere poterimus, si impressiones vividas, quas sanguineum, si pertinaces et diuturnas quas melancholicum suscipiat temperamentum, vel brevi in memoriam revocamus. Ætas, quæ insaniæ maxime patet, abs anno trigesimo ad quadragesimum pertinet, quod, procul dubio, curis majoribus tunc temporis obvenientibus referre licet. Poësis et ars pictoria, præ cæteris animi occupationibus, ut ait PINEL, cultores suos ad insaniam proclives reddunt; in quibus, scilicet, mentis facultates, et imaginatio præsertim, plurimum exercentur. Effectus tempestatis anni fortasse, quod ad hoc vitium inducendum attinet, levissimus est; quanquam, profecto, animum, cœlo aprico, hilarem,

eodem vero nubilo, tristiorem haud raro conspicimus: et hæc, cum aliis causis, morbum ingravescere facessant, rationemque suicidorum, inter menses anni tenebrosos, plurium reddunt. Jam parum de vi lunæ in mania cienda dicitur: Si Esquirol credimus, maniaci revera circa plenilunium, plus solito agitantur: eidem tamen mane quoque primo accidit, unde lucem excitationis temporibus illis adauctæ, causam ille censet.

Inter causas excitantes, impressiones istas recensere licet, quæcunque mentem vehementer excitare possunt; et pathemata, quæ ita agunt sæpissime, hæc sunt,—spes, scilicet, amor, et superstitio religiosa; metus vehemens et repentinus; ira inexplebilis; voluptatis, rerumve adversarum sensus nimium acutus; studium quodvis nimio ardore cultum: vitia cerebri a noxis quibusvis, hoc et genus nervosum directe afficientibus, oriunda: læsiones capitis, ulcera et abscessus cerebri; hoc denique viscus tumoribus, &c. compressum; vitia abdominis, cum statu intestinorum commeatum habentia; vermes et ejusmodi. Viscerum horum vitia præcipue a Percival inter causas enumerata sunt, et quidem nuperius a

Doctore Pritchard, qui exempla hujus mali plurima annotavit post longam navigationem ingruentia, ubi commeatu nautico vivendum erat, intestinaque ægri constipata fuerant. Affectionem cerebri, unde mania oritur, cum conditione intestinorum turbata, commeatum qualis est effectui cum causa sua, habere, Dr Pritchard conjicit, calculis a cæteris generis nervosi vitiis subductis, quæ a functionibus intestinorum morbosis factis pendere constat; quia præterea, ea quæ, mania urgente, tubi intestinorum conditionem mutare possunt, vitii cerebri vehementiam vel sublevare vel intendere queant. His quoque causis annumeranda sunt, vitia abdominis, jecoris scilicet amplificatio, scirrhus, &c.; morbi uteri, mensium depravationes, catamenia suppressa; lactatio, sive lac non omnino post partum fuerit secretum, sive inter lactandum cohibitum sit; partus; ebrietas repetita; febris; exinanitiones ingentes; hydrargyrum neque parce neque caute adhibitum; vitia paralytica.

DIAGNOSIS.

Periculum est ne minus peritus maniam pro Delirio acuto, vel fortasse Phrenitide habeat. Delirium a mania, statu pulsus; ægro rerum externarum, etiam quando cietur, inconscio, et tum quoque in animi inertiam cito relabente, distat: contra, autem, mania correptus nonnunquam res circumstantes recte sentit, et sæpe rationem injurias fictas aut avertendi aut ulciscendi meditatur: delirium ex mentis turbatione, insaniæ simili quidem, sed in symptomatis causis, et decursu discrepante, constat. A Phrenitide mania, pyrexia in hac absente, vel si adfuerit, saltem maxima ex parte levi, dignoscitur.

PROGNOSIS.

Si scriptoribus quibusdam, qui maniacos novem e decem convalescere asseverant, fidendum esset, præsagium semper faustum edendum foret; sed alii, nec minus periti, exitus morbi longe diversos narrant: his igitur auctoribus inter

se tantum discrepantibus, mihi solummodo restat, ut ea, quæ eventum felicem, vel huic oppositum, polliceantur, proponam.

Fœminas, quam mares, plures, si maxime ex partu insaniverant illæ, convalescere a Haslam annotatur. Ex quacunque, tamen, causa, in fœminis mania profecta fuerit, ominis pessimi habetur, si circa tempus menstruum malum ingravescat; vel si menses nimii vel nimis parci profluant. Ex tabula scripta, quam edidit idem, insanos, prout juniores sunt, eo plures, prout ætate provectiores, eo pauciores sanescere liquet. Quo diutius institerit vitium, eo difficilius sanatu invenietur. Maniaci furiosi plures, pro rato numero, quam tristiculi et melancholici, sanitatem recipiunt; et porro quando istæ animi conditiones inter se sæpius commutantur, pro indicio insigniter infausto habendum est. Spes major est sanitatis perfecte recuperandæ, si morbus paulatim, quam si subito, cessaverit. Affectiones paralyticæ sæpe maniam inducunt, sæpe ab ea inducuntur; qui mania, exinde proficiscente, plectuntur, raro resipiscunt: idemque de epilepsia dicatur. Maniam, a studio quovis, religionis præsertim, cæteris omnibus abjectis, ni-

mium culto, inductam, rarissime curari, nemo est omnino qui neget. Variola, judice HASLAM, maniæ superveniens, exitum plerumque lethalem habet. Si, dum convalescit, æger pinguescat, boni ominis ducitur. Febris intermittens quoque maniam nonnunquam curasse memoratur.—Sanguinis, vel alvi fluxus, hæmorrhoides, vel menses provenientes, aliquid boni spondere creduntur. Mania vetusta sive immedicabilis, in facultatum mentis et animi interitum vel saltem imbecillitatem, plerumque desinit. Ver et autumnus convalescentiæ maxime favent; eidem hiems pariter adversatur.

DE MEDENDI RATIONE.

Maniæ curatio bigemina, medica, scilicet, et moralis, jure habetur.

Dum ea consilia recensemus, quæ, in ipsis curationibus, revera probanda videntur, illa ad causas excitantes primarias accurate respicere intelligendum erit: quandocunque, igitur, causam, quæ maniæ impetui ortum præbuerit, recludere possumus, in eam demum tota nostra curatio instituenda

est. Quum tamen causa sæpe parum in aprico sit, et potius sub tenebris lateat, ista indicia morbi, quæ maxime urgent, et ob vehementiam sibi notitiam vindicant, debellando contenti simus oportet. Inter initia insaniæ aggredientis, haud raro accidit, ut omnia quæ fluxum sanguinis caput versus ingentem commonstrant, adsint: his se ita habentibus, vel quando a læsione vel alia causa manifesta oritur, remedia tali casui alias idonea postulantur. Si pulsus sit plenus et creber; facies rubra; oculi suffusi; sanguinem vel e brachio vel arteria temporali mittere oportebit: venam vel arteriam tamen, nisi signis strenue suadentibus, pertundere haud licet; ne sic mania acuta, vetusta fiat. Sanguinis autem detractio topica, per hirudines instituta, proderit, et, quamdiu summæ cutis calor perstat, iterum iterumque repetatur. Capillitium abradi debet, et fortasse caput ipsum, pannulis ex aliqua lotione evaporante subinde succidis admotis, frigidum servare idoneum erit: quodcunque huic consilio, capiti nimirum refrigerando, inservit, profecto vesicatoriis accommodatius esse videtur, quippe quibus irritatio potius intendi et provehi, quam sublevari possit: hæc, autem, ipsa aliquantum a capite distantia

admovere fas erit ; et fortasse, quando capitis superficies friget, et indicia, quæ sanguinis impetum ad vasa encephalica profunda directum ostendunt, simul adsunt, vesicatoria aliquid proficere valeant. Secundum LUCETRE, frigus capiti admotum, multo magis prodest, si simul corpus cæterum in aqua calida immersum fuerit ; sic, enim, non modo capitis vasa constringuntur, sed etiam vasa reliqui corporis simul dilatantur, ideoque fluxus sanguinis e capite in corpus promovetur : ut eidem consilio satis fiat, situs corporis quam erectissimus esse debet, victusque admodum simplex et nequaquam conditus. Purgantia plurimum prosunt, neque hæc ipsa acriora nocent, quoniam constipatio sæpius adest. Præter hæc remedia depletoria, ex genere narcoticorum multa ab aliis laudata sunt, ab aliis prohibita. In ea specie maniæ, quæ uteri affectionibus morbosis, veluti mensibus cohibitis, vel fluxu eorundem insigniter abnormi facto, innititur, emmenagoga stimulantia laudibus præcipuis efferuntur ; ad hoc Dr PRITCHARD a guttis triginta ad sexaginta Træ. Melampodii, ter die præcipere solet, atque præsertim Oleum Terebinthinæ sub forma emulsionis, aut enematum, ex un-

cia una Ol. Olivarum, copiaque pari Ol. Terebinth. singulorum constantium. Si unquam purgantia necessaria sint, tum maxime exhiberi debent, quando morbus a vitiis intestinorum pendet. Hujusmodi medicamenta plerumque usurpata, sunt, Submurias Hydrargyri cum Pulv. Antim. et Jalapa in formam boli compositus; quæ, si tardius agunt, per enemata purgantia, Oleum Terebinth. continentia, adjuventur. Catharsis pro ratione dejectionum instituenda et repetenda est; non, enim, ab usu purgantium, præsertim si materia fæda nigricans cum scybalis dejicitur, deterreri decet, quamvis alvum aliquamdiu solutam fuisse novimus. Ubi nulla plenitudinis immodicæ vel actionis auctæ, in carotidis et temporalibus, monstrantur indicia, vel postquam hæc signa sanguinis missione sublata sunt, vomitoria forsan idonea fuerint: illa autem remedia modo insigni, quando una cum catharticis exhibentur, prosunt. Cathedra rotatoria pro remedio e Cox et Halloran strenue suadetur; eam Halloran eo potissimum consilio, ut somnus concilietur, præcipit, quod quidem haud raro peragit; nihilominus multum abesse videtur, ut exemplis cunctis remedium idoneum fiat.

Ad postremum tantum, de nexu morbos mentis inter et vitia cerebri interveniente ignoramus, ut effectus remediorum valde incerti sint, et curationi morali multo magis fidendum. Hæc quidem jam probe inter omnes nota est: quamprimum, ergo, aliquis insaniæ incipientis indicia quævis prodiderit, primo, ut animus, ab cogitationum serie, in qua insanire cœpit, avertatur, elaborandum esse, facile constabit. Desipiscens, si commode fieri potest, a domo comitibusque quibus assuevit, amovendus est; sed nequaquam, nisi symptomata vehementissime urgeant, ad asylum mente captorum allegandus. Ad eas animi facultates, quarum defectio præcipuam insaniæ partem constituit exercendas et bene occupandas, operam dare propositum est.

Si morbus perstiterit et usque ingravescat, jam demum ægrotum ad asylum talium miserorum conferre oportebit; et ægro miserando adhuc usque pervecto, eum inibi satis tuto relinquere mihi fas erit: talia, enim, asyla pleraque jam adeo probe instituuntur, medicique præsides iis, qui olim his præerant, jam adeo peritiores sunt, ut annotationes, quæcunque ultra de regimine insanorum proferrem, prorsus supervacuæ forent.

FINIS.

1